



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

88. An Confessarij solicitantes in confessione sint suspecti vehementer de
hæresi, & quo pacto debeant abiurare? Ex p. 4. tr. 5. res. 51.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquis. &c Ref. LXXXVII. &c. 413

quia in tali casu non adest confessio vera, & sacramentalis: & poena imposita alicui actui non incurritur ab illo, qui fecit illum actum, si actus fuit nullus.

2. Sed contrariam sententiam docet Acugna *tract. de Confess. sollicit. q. 14. n. 4.* quam hodie, stante Bulla Gregorij XV. amplectendam esse puto: nam ut saepius supra diximus, in dicta Constitutione non solum Pontifex vult esse denunciandos Confessarios sollicitantes in Confessione; sed praetextu Confessionis, siue extra occasionem Confessionis in Confessionario. Et ita docet post Bullam Greg. XV. Ioannes Sancius in *Selectis disp. 11. n. 39.* etiam si mala fides Confessarij, & poenitentis interveniat: quia uterque cognoscit Confessionem invalidam esse, & ob id intendere nequeunt Sacramentum conficere: nam in tali casu Sacerdos ille denunciandus esset.

RESOL. LXXXVII.

An Sacerdos non habens potestatem absolvendi, si in excipiendo aliorum confessiones illos sollicitet, incurvat poenas sollicitantium, & sit denunciandus?

Et quid, si mala fides Confessarij, & poenitentis interveniat, quia unusquisque cognoscit confessionem invalidam iri ex defectu jurisdictionis, &c.

Et an hoc non procedat, si Confessarius deprehendens foeminam verum propositum emendationis non habere, & ob id illam non absolvat, sed illam, hoc non obstante, sollicitet?

Et an Confessarius, qui ad libidinem mulierem provocat, quae ei confitetur, ut excommunicationem Ecclesiae pro defectu annuae Confessionis fugiat, comprehendatur in supradictis Pontificum Decretis? Ex part. 4. tract. 5. Ref. 8.

§. 1. Negativam sententiam docet Soula in *apoph. Inquis. lib. 1. cap. 34. num. 16.* ubi sic ait: Sacerdos qui sciens se jurisdictionem audiendi confessiones minime habere, mulierem, quae bona fide confitetur, ad inhonestos actus inducit, in dictis decretis non comprehenditur, & si mulier constiterit Sacerdoti, quem novit non fungi jurisdictione, ea tamen intentione, ut ipse à Superiori potestatem illam absolvendi petat, probabile est huius decreti reum, probabilius tamen oppositum. Ita ille, & pro hac sententia in part. 1. tract. 4. * *resolut. 17.* adduxi etiam Portel. Et hanc sententiam recentior mordicus tenet Fagundez de *praecept. Eccles. in editione novissima pr. 2. lib. 4. cap. 3. num. 79.* etiam in terminis Bullae Gregorij XV. & ratio est, quia Sacerdos in tali casu probè novit non dari verum Sacramentum: ergo sollicitatio & provocatio ab eo facta, ut est ab eo, non conjungitur cum Sacramento: ergo non est injuriola Sacramento, prout de injuria Sacramenti loquuntur Pontifices in constitutionibus, sed suspicio haeresis in hoc casu non datur ab injuria Sacramenti separata: ergo cum hæc non detur, nec suspicio danda est, ac proinde huiusmodi Sacerdos in Pontificis decretis non peccat, neque includitur, & in terminis etiam Bullae Gregorij XV. tenet hanc sententiam supra citatus Soula *opuscul. de Confessar. sollicit. in annotat. ad dictam Bullam num. 4.*

2. Sed ego ubi supra, & merito, contrariam sententiam tenui, & nunc iterum teneo, non solum in terminis Bullae Gregorij XV. sed etiam aliorum Pontificum, & ideo præter Acugnam & Sancium, quos ibi citavi, docet hanc opinionem novissime Caltrus Palaus *tract. 4. disp. 9. punct. 9. num. 1.* ubi sic asserit: Certum esse debet Sacerdotem jurisdictione carentem ad audiendas confessiones, si exponatur illas audire, & poenitentem sollicitet, fore denunciandum, Tom. V

quia absolute censetur Confessarius, cum Ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus & mortalibus confessis possit absolvere, & ab omnibus in articulo mortis, alias posset quilibet Sacerdos sollicitans affirmare autum fuisse sollicitare poenitentem, eo quod jurisdictionem non haberet ad absolvendum à peccatis, quæ sibi erant confessa, quod esset cadere decreta Inquisitionis, & constitutiones Pontificum, & quidem juxta constitut. Gregor. nemini potest esse dubium talem Sacerdotem comprehendere, cum hic Sacerdos simul se audire confessiones, & sic simulans ad Venerem incitet poenitentem. Hæc Palaus loco citato.

3. Verum, ut advertit Sancius in *selectis disp. 11. num. 39.* Henriquez *lib. 6. cap. 23. num. 4.* & alij, si mala fides Confessarij & poenitentis interveniat, quia unusquisque cognoscit confessionem invalidam iri ex defectu jurisdictionis, & ob id intendere nequeant conficere Sacramentum, in tali casu talis Sacerdos non esset denunciandus, verum ego contrarium puto, per ea quæ adducit Freitas in *editione noviss. de Confess. sollicit. quest. 13. num. 22.* Sed quicquid sit in terminis Bullae Pauli V. & Clem. VIII. hodie stante constitut. Greg. XV. supradictus Confessarius erit denunciandus, ut rectè observat Sancius *loc. cit.* qui addit etiam hoc procedere à fortiori, si Confessarius deprehendens foeminam verum propositum emendationis non habere, & ob id illam non absolvit, sed illam hoc non obstante sollicitet, nam in tali casu Confessarius erit denunciandus non solum in terminis dictæ Bullae Gregorianæ, sed etiam aliarum Bullarum, quia licet in hoc Sacramentum non conficiatur, accusatio tamen in foro poenitentiae sit, quæ sufficit ad obligationem sigilli.

4. Ex quibus etiam sequitur quod Confessarius, qui ad libidinem mulierem provocat, quæ ei confitetur, ut excommunicationem Ecclesiae pro defectu annuae confessionis fugiat, comprehendatur in supradictis Pontificum decretis. Ita Soula *loc. cit. n. 18.*

RESOL. LXXXVIII.

An Confessarij sollicitantes in confessione sint suspecti de haeresi vehementer, & quæ pacto debeant abjurare? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 51.

§. 1. Etsi supradictos suspectos vehementer de haeresi, docuit Pegna in *director. par. 2. comen. 81.* in tr. 12. ref. & post illum Modius de *sacris Ordinibus cap. 27. num. 6.* 7. §. Difficultas. & M. Anton. Genuensis in *praxi Archiepisc. cap. 66. num. 2.* ubi sic asserit: Non est omittendum quod tentans mulieres in actu confessionis est suspectus de fide vehementer, quomodo sentit de sacramento Poenitentiae, etiam si prope actum confessionis ante, vel post ipsam tentaverit, ut fertur declarasse Clemens Papa VIII. Ita ille. Unde stante hac sententia debent abjurare de vehementi, & ideo Augustinus Bariola Consultor S. Officij in Inquisitione Mediolanensi in *tract. de Confess. sollicit. post flores Inquis. sic ait*: Debent Confessarij sollicitantes regulariter abjurare de vehementi.

2. Verum contrariam sententiam tuerent Paramus de *orig. Inquis. lib. 3. quest. 10. num. 115.* Ioseph Sella in *decis. Regni Aragon. tom. 4. decis. 449. num. 3.* Acugna in *tract. de Confess. sollicit. quest. 2. num. 20.* Antonius Soula *opuscul. de Confess. sollicit. tract. 1. cap. 5. num. 6.* & alij, asserentes suspensionem Confessariorum sollicitantium esse tantum levem, quod probatur à Soula, quoniam hæc suspicio non est vehementis, neque violenta; ergo erit levis. Antecedens ex eo apparet verum, quia ex facto non colligitur, neque ferè semper, M m 3 neque

414. Tract. IX. De Denunciatione facienda,

neque ut plurimum, ut illud facientes sint hæretici. Deinde factum hoc secundum ad hæresim longissime distat, præsertim cum ad peccatum luxuriae, quod ibi interdicitur, homines maxime procumbant; ergo sollicitatio non potest majorem ingerere suspicionem, & ita intelligenda sunt verba Pontificis, *nos in animum inducere nequeunt*, &c. Nam Summus Pontifex solum vult indicare, non deesse in tali facto suspicionem; & hoc tanquam certum, manifestumque tradit; an verò dicta suspicio sit vehemens, vel levis reputanda, non declarat, unde stante hac opinione abjuratio imponenda Confessariis in confessione sollicitantibus, erit tantum de levi, & ita docet præter Soufam ubi supra, Ioseph Sesse loco cit. dec. 453. n. 5. & alij, & de hac questione infra redibit sermo in tract. de penis. Sed in hac questione ubi casus contigerit unusquisque sequatur styllum & praxim Inquisitionis suæ.

In ref. & §. not præterit.

RESOL. LXXXIX.

An quis teneatur denunciare Confessarium, qui propter sollicitationem alterius confessus abjuravit? Ex part. 1. tract. 4. Ref. 26.

Sup. hoc sup. §. 1. in ref. 31. & inf. lege doctrinam Ref. seq.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Martinus Bonacina in tract. var. disputat. 6. punct. ... pro-
pos. 2. num. 15.
2. Sed contrarium docet Sancius in selectis, disp. 11. num. 52. Peyrinus de priviis, Minim. tom. 2. Constitut. 4. Gregor. XV. §. 9. numero 32. & ante illos Freitas Additionator Roderici Acugna in tract. de Confess. sollicitant. quest. 3. num. 34. Et ratio hujus sententiæ erit, secundum mentem aliquorum Doctorum: quia, ut supra visum est, multi asserunt, quod quis non tenetur denunciare hæreticum emendatum: sed talis Confessarius, propter abjuracionem, censetur sufficienter emendatus: ergo minime denunciandus erit.

§. p. in ref. quæ hic est 6.

RESOL. XC.

Alii Confessarius, qui abjuravit propter sollicitationes, si perseveret sollicitando, sit denunciandus ob præteritam sollicitationem? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 21.

Quæ hic est Ref. antec. dens & lege aliam ejus primæ annot.

§. 2. **D**iximus in part. 1. tract. 4. resol. 26. non esse denunciandum Confessarium, qui propter sollicitationem alterius fuit penitus, & abjuravit; sed difficultas est si perseveret in sollicitationis vitio, utrum sit deferendus ob præteritam sollicitationem? & affirmativam sententiam docet Seraph. Freitas in tract. de Confess. sollicit. quest. 3. num. 34. Verum contrarium tenet Ioan. Sancius in selectis disput. 11. num. 53. Nam obligatio ad denunciandum ob præteritam sollicitationem extincta fuit eo ipso, quod sollicitans Confessarius ab Inquisitoribus punitus fuit, nec renascitur denunciandi obligatio, quia iterum in sollicitationis crimen incidit Confessarius, nec quicquam prodesse potest illa denuntiatio ad secundam punitionem infligendam, cum crimen illud ante primam punitionem fuisset commissum, & ad secundam punitionem solum sint attendenda delicta commissæ post primam, nam deterior non judicabitur Confessarius, quia modò revelentur aliqua sollicitationis delicta ante primam punitionem patrata, sed ex eo quod post unam punitionem in alia nova crimina sollicitationis fuerit lapsus, primam monitionem, seu punitionem spernens. Ita Sancius. Verum ego puro non esse rece-

dendum ab opinione affirmativa quam docet Freitas loco citato.

2. Adde quod non est verum id, quod asserit Sancius, nempe nihil prodesse istam denunciationem ad secundam punitionem infligendam, nam Inquisitores graviores penas pro pluribus sollicitationibus, quam pro una rependere solent, & in causa hæresis accedente nova probatione reus iterum punitur, & condemnatur: ergo, &c.

RESOL. XCI.

An Confessarij sollicitantes in Confessionario, sine ulla tamen occasione confessionis debeant abjurare? Et an vero idem dicendum sit de Confessario sollicitante paulo post, vel paulo ante confessionem? Et quid quoad alios casus, quando sollicitatio fit in Confessionario? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 50.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Antonius Soufa post opusc. de Confess. sollicit. in annot. ad Ref. Bullam Gregor. XV. num. 16. & 17. ubi docet sollicitantes in confessionario non esse de fide suspectos, quia tunc ex aliquo facto colligitur hæresis suspicio, quando vel factum illud est conjunctum cum hæresi, vel quando qui illum exequitur, invenitur hæreticus; sed neutrum istorum in proposito reperitur, ergo nulla ex eo colligi debet hæresis suspicio. Minor quoad primam partem ostenditur, quoniam ea hæresis posset dici conjuncta cum tali sollicitatione, quæ nostris temporibus negat auricularem confessionem: ab hac autem longissime abest sollicitatio illa, cum nulla ibi invenitur confessio etiam inchoata. Secunda pars non aliter probari potest, quam experientia, quæ nullum adhuc sollicitantem hæreticum invenit. Ita Soufa.

2. Deinde confirmatur hæc opinio, quia Confessarij sollicitantes ideo sunt suspecti, unde abjurant de levi, quia per actum sollicitationis injuriam inferunt Sacramento in ipsius Sacramenti substantia, qualis est quæ materiæ, seu formam Sacramenti, aut ad illud ex parte penitentis necessariam dispositionem tollit, & ideo Summi Pontifices Pius IV. Paulus V. & Gregor. XV. in suis constitutionibus fiscaliterunt. Nos in animum inducere nequeunt, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis à Christo Domino nostro institutis abjurant, aut illis injuriam faciant. Sed in nostro casu Confessarius sollicitans non abutitur Sacramento, neque illi injuriam facit, ut patet, quia non sollicitat in confessione, neque ex ulla occasione, aut prætextu confessionis; ergo non potest dici suspectus de fide, atque ideo nulla abjuratio illi imponenda erit, sed aliis penis puniatur Inquisitorum arbitrio.

3. An verò idem dicendum sit de Confessario sollicitante paulo post, vel paulo ante confessionem, dubium esse potest, nam talis non videtur esse de fide suspectus, ut probat idem Soufa opusc. de Confess. sollicit. tr. 1. cap. 18. n. 13. Seclaus aliquibus casibus: nam qui cum possit sollicitare in actu confessionis, in quo fortè sollicitandi occasio erit opportunior (tunc enim scemina conscientiam suam manifestante peccata carnis confitente, Confessori facili occurret occasio in aggravandis, vel faciendis peccatis propalandi animum impudicum) & id in tam opportuna occasione facere non vult, sed sollicitationem differt, vel anticipat, manifeste ostendit, nolle se integritatem & perfectionem Sacramenti commaculare; ergo, ut dictum est, talis Confessarius non est de fide suspectus: ergo non debet abjurare.

4. Sed ego puro quoad hunc ultimum casum de Confessaria